

BIBLIOTEKA KÓRNICKA

224277



Physiologii Rymskichow'zow' na pamiatku

or' rarem spoznanyh

autor.

D E

VITIO QUODAM PRIMAE FORMATIONIS INFERIO-  
REM POTISSIMUM TUBI INTESTINALIS PARTEM  
ET VESICAM URINARIAM SPECTANTE.

---

DISSERTATIO

INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

*ALMA LITERARUM UNIVERSITATE FRIDERICA GUILIELMA*

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE X. JUNII A. MDCCCXXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

CASIMIRUS DE CHOŃSKI

VOLHYNUS.

~~~~~  
OPPONENTIBUS:

E. GRAEFE, MED. ET CHIR. DR. PR. PRIV. DOC.

A. BENARY, PHIL. DR.

S. BENTKOWSKI, MED. ET CHIR. DR.

~~~~~  
ACCEDIT TABULA.

---

BEROLINI, FORMIS NIETACKIANIS.



224277

**P A T R I**  
**OPTIMO, DILECTISSIMO,**

**AD CINERES USQUE COLENDO**

P A T E N T

**NEC NON**

OPTIMO, DILECTISSIMO,

AD CIRCUMSPICENDUM

BASOE STVDIORUM PRIMITIAS

V I R O

ILLUSTRISSIMO, NOBILISSIMO, GENEROSISSIMO

**DARIO CIOLEK A PONIATOWSKI**

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

## PROOEMIUM.

---

**H**aud magni nostra interesse scire, quid sit monstrum, quid naturae lusus vel varietatis verbo significetur, jam **Joan. Frid. Meckelius** (in *Enchiridio anat. pathol.*) contendit, qui praestantissimis suis ipse studiis effecit, ut nomina illa antiquam significationem fere omnino amitterent. Quas olim nominum illorum notiones tradiderunt **Hallerus** (1), **Bonnetius** (2), **Treviranus** aliique viri docti, hae vel nimis universe vel minus accurate atque pro arbitrio sunt constitutae. — Praeterea etiam de monstrorum origine longe alias protulerunt sententias **Blumenbachius** (3), **Soemmeringius** (4), **Hunterus** (5) aliique harum rerum periti, qui relicta illa germinis praeformationis et epigenesis theoria, naturae lusus non extra fines constitutos vagari, sed in ipsis monstris procreandis certum esse et naturalem quendam ordinem gradumque, ita ut quodvis corporis organum non nisi certo quodam modo in monstri speciem formari possit, cognoverunt. — Praecipua in hac artis medicae parte fuit ea, quam a **Meckelio** traditam **Godofredus St. Hilaire** aliique viri docti acceperunt de evolutionibus retardatis et impeditis

---

(1) *De monstris* in op. min. t. III. p. 34. «Nobis vis vocis perinde videtur indicare fabricam etiam grandium et conspicuarum partium alienam a solita.»

(2) *Toute production organisée, dans la quelle la conformation l'arrangement et le nombre de quelque partie ne suivent pas les regles ordinaires.*

(3) *Ueber den Bildungstrieb.*

(4) *Beschreibung und Abbildung einiger Mißsgeburten.* 1791.

(5) *Bemerk. üb. die thierische Oeconomie.* 171. Aus d. Engl. v. Scheller.

doctrina. Jam generationis theoria, quae historiam generationis, et anatomia comparata, quae universam omnium animalium corporis regulam in singulis eorum ordinibus demonstratam oculis nostris offert, tantum contribuerant ad transformandam vulgatam antea de monstris doctrinam, ut nullum profecto reperiri possit monstrum tam mirabile et insolitum, quin vel certum suum in doctrina inveniatur locum vel legitimae cuidam rationi, ex qua universa theoria derivari possit, tanquam novum adjiciatur exemplum.

Quum igitur eximia viri illustrissimi et doctissimi *Wagneri*, regi in rebus medicis a consiliis intimis, benignitate e splendida ejus ditissimaque rerum pathologicarum collectione, praestans quoddam novumque praeparatum publice describendum accepissem, non ignorans ad quantam et subtilitatem et difficultatem evecta sit haec disciplina, facile in timorem adductus sum, ne iis quae de hac re dissererem, multo minus quam jure a me postulareretur, praestarem, neque ulla alia ut ab incepto meo non absisterem commovebar causa, nisi quod disciplinam quam quominus posthac pertractem officiis meis facile me impeditum iri intelligo, in ipso cursus academici fine quodammodo attingisse cupiebam; nec tamen nego sperasse me fore ut insoliti hujus et mirabilis exempli descriptio accurata, ad quod recte dijudicandum et tabula est addita, adjuvante *Schlemmio*, Professore Clarissimo, praeceptore meo quam maxime venerando, diligentissime delineata, et commentationes ad ipsam hanc illustrandam adjectae sunt, non omnino ingrata esset iis, qui harum rerum doctrinam habent compertam.

---

Foemina quaedam annos viginti et unum nata, quae duodeviginti mensibus ante nupserat et tertio fere graviditatis mense abortum fecerat, iterum octavo graviditatis mense infantem masculum peperit vivum. Post ipsum partum in umbilico infantis vesica coloris viridis obscuri apparuerat, quae tamen paulo post disrupit, quo facto liquor obscurus et mox, cum apertura adesset fistulosa, usque ad mortem infantis, jam decimo die factam, faeces emanarunt. Infantis cadavere virorum clarissimorum professorum *Schlemmii* et *Wagneri* cura perquisito, et sectione accuratissime facta, quod in tabula delineavimus, praeparatum invenimus.

Foetus externum prae se tulisse speciem dicitur satis bonam et secundum naturae regulas compositam; maxime vero insolitae fuerunt internae formationes, quae jam singulae nobis sunt recensendae.

Quae post ipsum partum apparuit et mox disrupit vesica, profecta erat ex

hernia umbilicali congenita, quam eventratio semper fere sequi solet, quod tamen hic non factum est, siquidem ea, quae post disruptam vesicam effecta est apertura, limbo fere omnino circumdata, ani quasi praeternaturalis loco fungebatur. Ita infans decem dies vixit et fortasse nisi mors ejus tantopere fuisset expectata, ut vitae servandae nimis negligenter cura, in physiologia rarissimum atque observationibus nostris dignissimum spectaretur exemplum, vitae multis iisdemque maximis intestinalium partium vitiis nihil impeditae. Ita Cl. Waltherus in eorum, quos conjunctus cum Ill. de Graefe edit, annalium chirurgicorum tomi secundi fasciculo altero pag. 612: »Hoc« inquit »monstrorum genus tale est tantaque ejus cum »inferiorum animalium formatione similitudo, ut cum eo vita humana plerumque »conjugi nequeat.« Verum tamen exemplis non destituimur, in quibus natura ad vitam tuendam miris adminiculis sit usa. Sic Barthelinus(1) virum refert quadragenarium sine pene et podice natum, absoluta digestionem faeces quibusdam temporibus per cornu in os immissum reddidisse et umbilicis loci vesicam urinariam habuisse fissam, ex qua lotium profluxerit. Simile aliquid Baux (2) tradit de puella quatuordecim annorum, quae sine ullo ani et partium sexualium externarum vestigio optima vigeret valetudine et binis ternisve diebus, postquam dolorem obtusum paulatim incrementem in regione umbilicali sensisset, excrementa per os exspuerit, et singulis diebus per mammas urinam ediderit. Huc quoque infans pertinet sex mensium a De la Mare(3) observatus, qui lac revomit et nunquam alvum deposuit — sed ani naturalis restitutione salvus evasit. — Attamen quantum equidem sciam (vide in Meckelii Enchiridio anat. pathol. observationes Amyandi et Sixtorpii laudatas) nunquam certe, ex quo tempore ejusmodi exempla melius cognita habemus, foetus diutius quam tres dies vixit. — Hic etiam abdominis parietes, musculos, fascias et cutem ad legitimam normam conjuncta usque ad anulum umbilicalem, quo omnino desunt ista, invenimus. Annulus vero ille dilatatus erat, cum et parva intestini tenuis pars usque in vaginam funiculi umbilicalis dilatata porrigeret. E vagina funiculi umbilicalis saccus quoque herniosus exortus est serosus, quia vagina ipsa membranae serosae amnios continuatio est, nullam vero ad peritoneum habuit rationem. Vasa vero umbilicalia superiorem annuli umbilicalis partem occupant; neque unquam fere Omphalocoele super vasis illis jacens inventa est.

(1) Vir sine pede et podice. *Histor. anat. obs.* 50.

(2) *Journal de Méd.* T. VIII. p. 59.

(3) *Ibid.* T. XXXIII p. 152.

Notum est e generationis theoria, crescendi et formandi tractus intestino-  
rum initium mense fieri tertio. Quod si actio formationis usque ad id tempus non  
impedita est, tractus intestino-  
rum, antea extra cavum abdominis situs, in hoc  
ipsum retrahitur. Ileum vero intestinum et praecipue extrema ejus pars plerum-  
que diutius quam ceterae tractus intestino-  
rum partes, extra cavum abdominis ma-  
nere solet, et clausis jam abdominis parietibus, quominus intret, saepe impeditur,  
ex quo fit Exomphalus. Sin autem parietes abdominis non fuerint clausi — ple-  
rumque extra eas manere solent.

Itaque si illud quo tractus intestino-  
rum formari solet tempus et illud quo  
omphalocele facillime gigni potest, notum est, ex hoc concludi potest, quo tempore  
causa impediens intercesserit, et vice versa ex intercessionis tempore conjecturam  
nobis de initio vitiosae formationis, quae facile accidit, licet facere. Etenim in  
hoc de quo agimus exemplo, mensis tertius et ad eam quam a priori proferre licet  
sententiam et ad tempus, quo prioris graviditatis foetus est abortus, optime ada-  
ptari potest. Causa vero impediens, quae hoc tempore intercessit, etsi qualis fue-  
rit vix intelligimus, id efficit, ut crus inferius tubi intestinalis medii legiti-  
me formandi facultate subito privaretur, itaque neque intestinum coecum videmus  
neque processum vermiformem, neque intestini crassi partitiones, neque ullum int-  
recti vestigium — nihil denique nisi tres digitos longam intestini crassi partem,  
quae in fundo vesicae coeca finitur et quae a media linea corporis in dextram par-  
tem declinatur atque aliquantum in partem anteriorem vergit. In Valentini hi-  
storia generationis (pag. 345) haec quae ad morphologicam tractus intestino-  
rum formationem spectant, legimus: »Nach der Windung des Mitteldarms befindet  
»sich der eine vordere Schenkel des Mitteldarms mit seiner gröfseren Hälfte nach  
»vorn, und beugt unter einem beinahe rechten Winkel ein, wo sein hinterer Theil  
»in der Mittellinie des Körpers oder nahe derselben von vorn nach hinten ver-  
»läuft. Indem die dicken Gedärme sich immer mehr verlängern, macht ihre vor-  
»dere Abtheilung einen Bogen, dessen Concavität nach vorne sieht.« Spectanti  
igitur tabulam nostram facile erit persuasum, eum quem in nostro exemplari cer-  
nimus intestino-  
rum crassorum statum, Valentinianae isti normae omnino respondere.  
Tubus intestinalis clausus crassaque intestina vel breviora reddita vel plane desi-  
derata quum alias saepe observabantur, tum hae anomaliae imprimis in J. Fr.  
Meckelii anatomiae pathologicae Enchiridio (1) tam diligenter nobis occurrunt

(1) T. I. p. 30.

collectae, ut omnes monstrorum illorum gradationes docte ac subtiliter conjunctas facile percipiamus. Ut vero ex insignium illorum exemplorum copia unum alterumve exhibeamus, tum Baudelocquius (1) intestinum coecum, ejus quasi sola rudimenta aderant in parvam quandam vesicam nullo canali deferente instructam exiisse narrat, tum Jamiesonius (2), Bauregardius aliique viri clarissimi recti absentiam et intestini crassi coecum observarunt exitum. — Trista (3) se apud hominem quondam anum deesse vidisse, rectumque intestinum ligamentum solidum exhibens, aperturam fistulosam, regionem lumbalem dextram tenentem attigisse, alteroque in latere cum apertura vertebrae lumbaris quintae intime cohaesisse. Merrem (4) dissecto infante vix nato, intestinum rectum desiderari et colon descendens meconio turgidum in saccum coecum abire vidit, qui per processum quandam vermicularem vesicae fundo adnatus erat. J. Fr. Meckel etiam unum affert exemplum (5), quo rectum omnino defuisse crassumque intestinum in vesicam urinariam exiisse observavit. Tubum deinde intestinale alii sub recto humero emanantem, alii revertentem in oesophagum conspexerunt. Neque negligendum est, legem istam quam primus Martinus ita intellexit, ut ubicunque intestinum crassum coecum sit, anum deesse naturalem contenderet, egregie firmari hoc nostro exemplo. Nec tamen pro certo affirmari audeo, utrum pelvis arctior et tubera ossis ischii magis appropinquata nec ne fuerunt, quod plerumque his conditionibus evenire Leveillé contendit. Adrianus a Pappendorf (6) omnes atresiae ani species hucusque observatas singularibus nominibus distinguere expertus, considerato imprimis atresiae loco, novem species obtulit. Atresiae, de qua nos agimus, species vesicalis dici potest.

Vesicam urinariam in dissecto cadavere duplicem videmus. De qua re virorum doctorum et observationes et interpretationes paucis tradentur. Observavit Blasius vesicam urinariam a superiore parte ad inferiorem adstrictam, Ash (7) pariete quodam in duas partes separatam, Cattier (8) et Mery forma-

(1) Sedillot, recueil périod. T. I.

(2) Edinb. m. ess. v. IV. obs. 32. No. 354.

(3) Rust u. Casper, kritisches Repert. XXVIII. p. 121.

(4) Meißner, die Kinderkrankheiten etc. Leipzig 1828.

(5) Archiv für Anat. u. Physiol. 1827. Heft I. p. 26.

(6) Praes. Gualt. van Doeveren. Diss. observationes sistens de ano imperforato. Lugd. Batav. 1781.

(7) Baillie, Bemerk. üb. d. Anat. d. kr. Baues.— Abh. f. pr. Aerzte. B. 20. p. 428.

(8) Obs. med. p. 85.

tionis modum, quales apud serpentes esse solent, observarunt, quum uterque ureter in vesicam quandam abiisset. Originis autem causam plerique ita tradunt, ut vesicam dicant, in primaria impeditam evolutione ac singulas ejus partes conjungendi facultate adempta, separatim formatas esse. Sunt denique alii (1), qui anomaliam nostram minime evolutionem retardatam, sed uteri tanquam imitationem esse nimis audacter conjiciant. Nostrum equidem casum mechanico vitio adscribere non dubito. Maxima vero vesicae urinariae diametrus statu integro a superiore parte ad inferiorem tendit; effecta vero impressione quemadmodum non raro in graviditate solet fieri, saepe a dextra parte ad sinistram porrigit. Qua ex causa etiam recessus vel sinus vesicae saepissime oriuntur (2). Nonne igitur ingens illa excrementorum moles, quae accumulata in crassis intestinis post partum per anum praeternaturalem ejiciebatur, continuum exercuerit pressionem vesicae urinariae et deplanationem et separationem efficere potuit? Nec facile ubi praeparatum contemplatus fueris commoveri poteris, quin eandem profitearis sententiam, quamquam non nego, jam principio in fundo vesicae exstitisse separationem.

Ureteres quanquam solitum retinuisse videntur decursum atque insertionem, valde amplificati exitum ostendunt angustissimum nec tamen omnino coecum, qua in re discrepant ab illis exemplis, quae **Monro**, **Murray**, **Wrisberg**, **Hartmann** aliique medici attulerunt.

Neminem, qui accurate mediae genitalium partium sphaerae formationem perspexerit, effugere potest, quo modo canalis uro-genitalis (3) oriatur. Vesiculae seminales ex ipso canali segregatae oriuntur, nec prius quam ductus illis medianus evanuit, cum vasis deferentibus conjunguntur. In nostro infante canalem uro-genitalem quominus ad solitam normam formaretur, aliqua re impeditum esse, satis apparet, quum nec vesiculae ullae seminales inveniantur et vasorum deferentium dextrum ad vesicam urinariam, sinistrum ad ejusdem lateris ureterem tendat — quod antea jam observatum esse nunquam audivi. Deesse vesicae seminales dicuntur, ubi vesica urinaria fissa est, quae res etiam in nostro exemplo illam vesicae urinariae jam antea fissae conjecturam videtur comprobare. Si denique in fine hujus disquisitionis totum spectamus praeparatum, quum illa, de quibus diximus, organa imperfectam, eamque tertio, ut conjici licet, graviditatis mense impeditam

(1) Terta epist. de re med. p. 135.

(2) Hildebrandt, anat. p. IV. p. 345.

(3) v. J. Müller, Bildungsgeschichte der Genital. 1830.

(4) Rathke, Abhandl.

evolutionem retinuisse profiteri debemus, tum et singularum partium relationem inferiori quodam statu substituisse, ita ut ad cloacarum quam dicunt formationem proxime accedant. De qua re J. Fr. Meckelius singulari capite copiose disseruit, in quo genitalia, organa uropoetica et chylopoetica praeter naturam variis rationibus conjungi posse doctissime exposuit; cujus rei formas tradit has:

- 1) Organa genitalia interna cum intestino crasso sunt conjuncta, organis uropoetici systematis legitime formati.
- 2) Apertum patet intestinum rectum, organa genitalia interne posita cum vesica urinaria conjuncta.
- 3) Intestinum rectum ureteribus conjunctum.

Dupuytren (1) vasa deferentia cum urethra conjuncta se vidisse narrat. Neque qui organorum illorum originem et formationem accurate cognitam habet, mirabitur, quod propter primitivam, quam habent ex origine sua sympathiam (2) et in vitiis primae formationis et in physiologicis functionibus et pathologicis affectis eandem retineant.

Dolendum mihi est, quod qualis urachi fuit in hoc cadavere ratio, non possum affirmare. Praeparati enim conditio, quum mihi describendum tradebatur, ea fuit, ut de hac re nihil certi reperire possem, quippe cui naturalem partium in cadavere situm perscrutari non liceret. Eadem causa fuit, quod interdum minus diligenter disquisitio facta est, quamquam non negari potest, nihil nunc gravius esse, quam ut primitiva earum partium, de quibus diximus ratio, in evolutionibus retardatis et impeditis observetur. Quum de urachi vi et significatione ea de causa inter doctos non constet, quod num allantois in homine revera exstet, jure dubitatur (Poekels Isis, 1825), etiam de analogia hujus membrani variis modis disputatur (3). Neque magis vel de copia vel de natura effusae post partum ex hernia aquae quidquam proferri licet — quoniam haec res minus digna medicorum attentione est visa.

Denique venia VVDD. petenda mihi est, quod partium descriptarum longitudinem et magnitudinem annotare praetermisi, quas quidem accurate metiri temporis angustiis impeditus sum.

Jam in fine hujus disquisitionis, jure ad quem monstrorum ordinem hoc exemplum adscribendum sit, interrogari potest. Et tres quidem in recensendis

(1) *Bullet. d. scienc. méd.* XIII. p. 56.

(2) Alb. Meckel, *dissert. de genital. et intestinorum analogia.* Halae 1810. 4

3) Valentin, *Entwicklungsgeschichte d. Menschen.* v. 126.

monstrorum causis ab auctoribus allatae fuerunt sententiae: **Duverneyi**, **Bonnetii**, **Halleri**, qui vitiosam germinis ipsius formationem subesse contenderunt, id quod omnino rejiciendum putarim. Cujus sententiae adversarii acerrimi **C. F. Wolfius** et **J. Fr. Meckelius** exstiterunt, qui mutatam actionis et vis plasticae rationem monstris formandis causam esse docuerunt, ideoque **Meckelius** mutatam istam vim vel quantitative ad monstruosam originem conferre docet, siquidem justo fortior vel debilior sit, vel qualitative propter mutatam formam sitamque partium, quibus tertiam classem formationum, quae ad hermaphroditismum spectant, addit. Nec tamen **Meckelius** negavit, vix omnia monstrorum exempla his classibus adscribi posse, qua re non diffiteor etiam hoc nostrum et repugnare certae definitioni, nec in definitum ordinem intrudi quodammodo posse.

**Godofredi St. Hilaire** conjectura, quae in ipsa generatione mechanicas quasdam causas vim suam exercere docuerat, mirifice nuper **Valentini** experimentis in ipso embryo artificiose institutis, confirmata est, nec dubitandum puto, quin mox apta ad hanc sententiam nova earum rerum definitionis ratio inveniatur, quamquam diligentius in hoc argumentum inquirere nec locus sufficit nec tempus.

## EXPLICATIO FIGURAE.

---

- a) Intestinum ileum.
  - b) Annulus umbilicalis.
  - c) Funiculus umbilicalis, cui ligamen adhuc adhaeret.
  - d) Hernia umbilicalis, in qua intestini tenuis exitus, qui in loco per specillum notato foramen format ani praeternaturalis vice fungens.
  - e) Vena umbilicalis descissa.
  - f) Intestinum crassum perbreve, quod curvamine satis magno ductum ab annulo umbilicali ad pelvis cavitatem porrigit, ab ostio clauditur rotundo, fundumque vesicae bipartitae inter ureterum fines petit.
  - g) Vesica duplex vel bipartita.
  - h) Commissura utriusque vesicae sub ureterum ostio, colo nempe vesicae reperitur.
  - i) Ureter dexter et sinister. Ambo vehementissime amplificati, quamquam ostio non satis magno in vesicam inducuntur.
  - k) Specillum quod urethrae decursum per descissum penem denotat.
  - l) Vas deferens dextrum.
  - m) Vas deferens sinistrum. Hoc in tumorem ad vesicae speciem formatum decurrit, qui in inferiori ureteris hujus lateris parte reperitur, dum sinistrum paullulo inferius clauditur, quam quo ureter finitur. Vesicae seminales in neutra parte discerni potuerunt.
-

# V I T A.

---

**N**atus sum a. MDCCCXIV. d. Aprilis XII. Cremeneji Volhyniac, patre *Michaeli Pobok de Chonski*, matre *Maria* e gente *Rucinski*, quibus adhuc superstitionibus gaudeo, Deo maximo optimo summas agens gratias. Fidei catholicae addictus sum. In litterarum principiis a praeceptoribus domesticis institutus, Lyceum Volhyniense, quod in urbe patria tunc temporis florebat, adii, ibique operam dedi litteris studiisque liberalibus usque ad annum hujus saeculi trigesimum primum. Testimonio maturitatis instructus Berolinum me contuli, ubi m. Januario MDCCCXXXIII. ab Ill. *Weiss*, ejus anni rectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus, et ab Ill. *Osann* in album medicorum inscriptus, hisce interfui praelectionibus:

Cel. *Benecke* de logice et encyclop. philosophiae. Cel. *Dove* de physice experimentalis et de meteorologia. Ill. *Mitscherlich* de chemia et zoochemia. Cel. *Rose* de chemia analytica. Ill. *Kunth* de botanices fundamentis et de plantis officinalibus. Cel. *Wiegmann* de zoologia generali. Ill. *Schlemm* osteologiam et syndesmologiam me docuit. Ill. *J. Mueller* anatomiam specialem, sensuum organa, anatomiam comparatam, anat. pathologicam et physiologiam, idem cum Ill. *Schlemm* artem cadavera rite dissecandi. Ill. *Link* pharmacologiam. Ill. *C. A. Schultx* materiam medicam. Ill. *Hecker* pathologiam et therapiam. Ill. *J. N. Rust* chirurgiam generalem et specialem.

Mense Aprili anni MDCCCXXXV. Lipsiam petii, ubi apud Ill. *Wachsmuth*, fascies tenentem academiae, nomen rite professus sum ibique per semestre aestivum exercitationes clinicas Ill. *Clari*, Ill. *Kuhl*, Ill. *Ritterich* frequentavi. — Tum Berolinum reversus die XXX. m. Octobris MDCCCXXXV. ab Ill. *Strauss*, t. t. Rectore iterum receptus sum et ab Ill. *J. Mueller*, spectabili t. t. decano medicinae studiosis adscriptus. Ex hoc tempore tum inter auscultantes tum inter eos quibus curandi aegrotos licentia est data, clinicis medicis Ill. *Bartels* et Cel. *Wolff*, chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. *Rust*, Ill. *C. de Graefe*, Ill. *Juengken*, obstetriciis Ill. *Busch* et Ill. *Kluge* per tria semestria interfui. Neque minus in praxi infantium aegrotorum Cel. *Barez*, in curandis syphiliticis morbis Ill. *Kluge* et in medicina forensi Ill. *Wagner* duces mihi fuerunt.

Quibus viris celeberrimis, illustrissimis et doctissimis summas, quas habeo ex imo pectore ago gratias.

Jam vero tentamine, tam philosophico, quam medico, nec non examine rigoroso rite superatis spero fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

---

## T H E S E S.

---

1. Trepanatio prophylactica plane rejicienda.
  2. Remedia salina in typho abdominali adhibita damno sunt.
  3. Plicam polonicam vim et naturam criseos endemicae in omnibus fere morbis acutis ac chronicis habere statuo.
  4. Naturalibus disciplinis juvenus primum erudienda.
-



C.L. Müller.



